

post acceptum acetum dixit: *Consummatum est; et inclinato capite emisit spiritum.* Sitiebat igitur nostram salutem. Quod *Christus Samaritanæ dixerat*, inquit Justinianus, l. de agone, c. XIX. *Da mihi bibere, hoc in cruce omnibus dixit: Sitio.* Itane igitur, Domine, superabundat charitas tua, ut qui pro nobis laborasti usque ad mortem, mortem autem crucis, non aliam mercedem petas, nisi ut tibi animas nostras pro potu offeramus? Hoc est indicium veræ charitatis. Da ergo nobis quod petis, ut animas scilicet nostras tibi per penitentiam et vitæ puritatem sapidas reddamus.

CONCIO V.

QUOMODO PER SS. DOMINI PASSIONEM REFORMATUS SIT HOMINIS INTELLECTUS.

PARS PRIMA.

DE COGNITIONE DEI.

I. Cernimus Dei bonitatem. — II. Dei charitatem. — III. Dei misericordiam. — IV. Dei justitiam. — V. Dei potentiam. — VI. Dei sapientiam.

THEMA.

Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.
Genes. XXVIII.

Genes. XXVIII. legimus Jacob euntem in Mesopotamiam, cum in via composuisset se ad somnum, vidisse scalam stantem super terram et cacumen illius tangens cælum: angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam, et Dominum innixum scalæ. Quid significet ista scala, exponit S. Augustinus, serm. LXXIX. de tempore, cum ait: «Scala usque ad cælos attingens, crucis figuram habuit; Dominus innixus scalæ, Christus crucifixus ostenditur; angeli ascendentes et descendentes per eam, apostoli et apostolici viri et omnes doctores Ecclesiarum intelliguntur. Ascendentes, quando perfectis perfecta prædicant; descendentes, quando parvulis et imperitis simplicia, quæ intelligere possint, insinuant.» Ita Augustinus. Porro gradus hujus scalæ sunt divinæ perfectiones in passione elucentes, in quarum contemplatione ascendere possumus ad ipsius Dei cognitionem. Quod si igitur hodierna die ad somnum, hoc est, ad quietem contemplationis nos componere et oculos nostros attollere velimus: videbimus scalam illam crucis hoc sacro die erectam, et Christum innixum super eam; scalam, inquam, in qua per certos gradus

ascendere ad cognitionem Dei poterimus, et tunc cum Jacob exclamabimus: *Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam.* Quoniam igitur eo fine nobis proposita est, per eam ascendemus et descendemus gressibus contemplationis.

I. Cernimus per sacram Domini passionem Dei bonitatem, quando ut bona sua cælestia nobis communicaret, seu ut ait apostolus ad Ephes. II. *Ostenderet in sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu*, tanta pro nobis fecit et pertulit. Communicaverat quidem homini in ejus creatione maxima bona sua, non terrenam solum felicitatem nec naturalem tantum sui imaginem, sed præterea jus etiam ad cælestem hæreditatem, et imaginem sui supernaturalem, gratia et virtutibus ornatam, atque ita constituerat hominem terræ imperatorem et insuper cæli hæredem. Sed cito dissipavit homo substantiam illam totam per rebellionem in ipsummet Deum et perdidit quicquid ex Dei dono habuerat, seipsum vero dæmonis servituti addixit; unde promerebatur a Deo destitui et nunquam deinceps in pristinam restitui dignitatem. Sed vide Dei bonitatem. Videns enim quia decenter nobis recuperari bona deperdita non possent, nisi ipse de cælo descenderet et in carne nostra pro nobis contra principes tenebrarum, imo contra ipsammet Dei justitiam depugnaret, adeoque in prælio occumberet; certamen id ingressus est, et intotum id quod perdidimus, imo adhuc ampliora bona, per mortem suam nobis recuperavit et restituit. Ponamus regem quempiam adoptasse puerum aliquem mendicum, et adultum donasse insigni ducatu: ducem vero illum gratia regis factum contra regem suum conspirasse cum hostibus, et ab iis circumventum, regno suo ejectum et privatum esse, si tunc rex acerrime licet offensus, ut ducatum, quem rebellis suo, adoptivo donaverat, eidem recuperaret et conservaret, equum conscenderet et exercitu collecto cum directoribus illis prælium iniret, licet eo prælio vitam sibi eripiendam sciret: quis quæso hanc regis bonitatem satis dilaudare posset? Sed licet hujusce benevolentiae nullum in humanis exemplum extet, nihil tamen est hoc totum, si cum divina illa bonitate comparetur. Fecit Deus nos e nihilo reges ac participes regni cælestis, ut in cælo æternum beati cum ipso regnaremus et gauderemus, ac *conformes fieremus imaginis Filii sui.* Quantum est hoc donum? Sed postquam id culpa nostra et rebellionem in Deum perdidimus, accinxit se Filius Dei et descendit in arenam, ut pro nobis patiendo perditum nobis recuperaret. Maxima

fuit bonitas et clementia Davidis, qui etiam rebellis filio querebat salutem, dum eum eo pugnare coactus, mandavit ducibus suis: *Servate mihi puerum Absalon.* Sed quid hæc ad illam Dei bonitatem? Pugnavit pro rebellibus filiis suis Deus et morte sua eosdem servavit. *Quam ergo bonus Israel Deus!*

Quid vero illud est quod, nostri causa fecit? Non pugnavit cædendo, vulnerando et occidendo hostem, quod facile ipsi fuisset; sed cadendo, vulnera recipiendo, mortem denique oppetendo; quod certe in illum diem *peregrinum opus* erat a Deo, longeque difficilior quam hostem cædere et occidere.

Et quare tanta pro nobis pertulit? Nullo prorsus suo commodo, (solus enim Deus ita agit, ut nihil inde sibi accedere possit, quia qui omnia habet nihil novi potest accipere: homines acquirunt suis laboribus opes, vel honores vel famam et existimationem, etc. non ita Deus) ob meram suam bonitatem, qua nos desideravit reddere participes omnium honorum suorum et totius gloriæ cælestis, ut ita haberet quibus fontem bonorum suorum communicaret, et cum quibus æternum gauderet, non quod nostri ullatenus indigeret, sed quia ex mera bonitate sua et desiderio suo nobis communicandi, *delicias* suas reputavit esse cum *filiis hominum et ludere* cum illis; imo vero ut suis bonis nos ditaret, ipse jacturam propriæ famæ, honoris, corporis, vitæ fecit: quomodo mancipium suis laboribus domino lucrum, sibi vero non nisi membrorum lassitudinem acquirit. Quod si pro laboribus suis aliquam a nobis mercedem petit, ea alia non est, nisi salus nostra ut passionem ejus acceptemus et salvemur. Quo vero modo opus redemptionis hujus perfecit? Mirabili prorsus; nam quicquid nobis mali erat, id totum in dorsum suum transtulit, non modo infirmitates corporales, persecutiones, afflictiones, etc. sed etiam spirituales et peccata omnia, ut ea sibi imputarentur, quasi ipse ea commisisset, reus illorum et diceretur et puniretur. Atque ita perinde fecit ac si a fure, quem lictores insequantur, saccum furti accipiens in dorsum suum transtulisset, ut ipse pro fure deprehensus, habitus et condemnatus suspendi se pateretur, quo vitam furi conservaret. Quis unquam tale quid audivit? Magnum quidem aliquid præstitit S. Ignatius Loiola, cum mendicis pretiosas suas vestes dedit, ipse laceros ejus confones induit. Magnum quiddam S. Paulinus, qui a vidua requisitus ut filium ejus redimeret cum pecuniam non haberet, seipsum pro filio illius in servitutem tradidit. Sed quid hoc ad Dei nostri bonitatem? Illi servi, hic Do-

minus: illi vestes et libertatem dedere, hic vitam.

II. Dei erga nos charitatem, quando etsi filii iræ peccatis fœdati et inimici ejus eramus, nihilominus tamen morte sua nos redimere et sibi desponsare voluit: derelictis altera ex parte angelis malis, qui naturæ longe nobilioris erant. Si enim non dilexisset nos, quomodo pro nobis mortuus, adeoque sponsus sanguinum nobis factus esset? Verissime ergo apostolus ad Eph. II. ait: *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, etc.* Nimiam vero vocat hanc charitatem. Primo, quia tunc mundus erat sceleratissimus, et bestiarum potius quam hominum vitam degens, ac proinde Dei inimicus: et idcirco rectissime figuratus in Æthiopia illa, quam adamavit et desponsavit sibi Moyses, Num. XII. ut habet S. Bernard. serm. XXXIX. in Cant. Quanta autem esse illa charitas debuit, quæ ad creaturam tam fœdatam se extendit et rebellem? Et hinc oritur invidia et quasi murmur dæmonum contra homines: quia ipsi, licet nobiliores, repudiati: homines admati sunt. Mirabatur David, quod Deus vel recordari dignaretur hominis, imo et visitare illum per assumptionem naturæ humanæ, Ps. VIII. dicens: *Quid est homo quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum?* in Hebr. habetur: *Quid est enos, id est obliviosus?* q. d. homo tui prorsus obliviscitur et alios amatores sectatur, et tu interim illius vel memor es? Et præterea visitas eum induendo naturam ejus et redimendo illum? Vere magnum quid est, quod Deus vel cogitare dignetur de homine et mentem suam ad eum deflectere, ad hominem præsertim impium, Dei contemptorem et obliviosum. Sed quanto majus illud, quod etiam talem voluerit diligere, et sanguine suo redimere? Hoc est quod mirandum proponit apostolus ad Rom. V. dicens: *Vix pro justo quis moritur; nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus pro nobis mortuus est.*

Secundo, quia: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut dicitur Joan. III.* dare autem illud fuit in maximis, quæ excogitari possunt, doloribus et tormentis eum derelinquere, dare ad macellum sicut victimam, tradere voluntati carnificum et hostium infensissimorum. Hoc modo Deus Filium nobis dedit, et Filius seipsum obtulit. O vere nimiam charitatem! Si dedisset eum nobis Pater ut rex tantum aut magister, aut virtutum exemplar, aut comes esset (quem in finem etiam datus est) sa-

tis multum id fuisset: habere videlicet Deum regem, doctorem, ductorem aut comitem; et deberemus propterea flexis genibus Deum semper laudare. Sed dare illud sui ad maximos dolores et inauditas ignominias, ad mortem denique crucis tradere et in iis derelinquere. Quis hic non obstupescat et cum sponsa dicat: *Introduxit me rex in cellam vinariam: ordinavit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore languo*, Cant. II. sane ob istud videtur obstupuisse Moyses, quando videns a tergo transeuntem Dominum exclamavit: *Dominator Domine Deus misericors, et clemens, patiens et multæ misericordiæ et verax*. Eo enim loco tradunt Hebræi apud magistrum hist. eccl. vidisse Moysen in Dei occipite quasdam ligaturas, quasi flagellum, et inde cognovisse quod aliquando Deus pro hominibus verbera perlaturus esset: ac propterea stupefactum exclamasse, *Dominator Domine etc.* Narrat Servius de Hercule illo tot monstrorum domitore, quod adeo adamarit Iolen, ut ea jubente clavam et leonis exuvium deponeret, et scuticas sibi infligi ab ea pateretur. Fœdus amor, sed mirabilis. Mirabilior Dei amor qui cum verberum capax non esset, talem induit naturam ut verberari posset, deposuit clavam et exuvium leonis, id est, divinæ majestatis et impatibilitatis amictum, adeoque ob amorem erga naturam humanam verbera in dorso suo pertulit innumera. Magnus item Samsonis amor in Dalilam, cujus importunitate victus prodidit virtutem suam tonderi se ab ea, et hostibus suis ad illudendum, imo ad internecionem tradi passus est, Jud. XVI. Sed major Dei in homines amor qui propter eos suum robur fultro deposuit, se ligari et ad mortem duci pertulit. Insignis etiam S. Magistriani martyris erga piam et castam virginem prostitutam; sed castus amor, qui ut eam liberaret: *Accipe vestes meas*, inquit, *et egredere contecto vultu parte chlamydis*. Illa egressa, ipse pro ea retentus et bestiis objectus fuit: ut in ejus vita. Insignior tamen Dei in nos amor; quia ipse Deus erat, nos rei eramus, non innocentes; nostro tamen assumpto habitu, de nobis dixit: *Sinite hos abire*; ipse vero hostibus obviam ivit et pro nobis quasi reus occisus est. Hinc igitur, o Christiani, colligite Dei in nos charitatem. Quod si aliquando Judæi videntes Christum pro amici sui Lazari morte lacrymari dixerunt ad invicem: *Ecce quomodo amabat eum!* Aspiciete et vos Deum ob amorem vestrum in peccatis mortuum, sanguineum sudorem fundentem, verbera perferentem, ligatum hostibus traditum derelictum et ad mortem abeuntem, et dicite: *Ecce quomodo amabat nos!*

III. Dei misericordiam, quando miseriarum nostrarum miseratus, ut ab iis nos eriperet, ipse pro nobis extremas adiit miserias et in se suscepit nostras. Judicavit etiam hoc apostolus, sup. d. loco ad Eph. II. *Deus autem qui dives est in misericordia*, inquit, *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis convivificavit nos in Christo, etc.* Dives imo ditissimus fuit in hac misericordia Deus, quia in cruce thesaurum aperuit suæ misericordiæ et abundantissimo pretio nos redemit. Cum enim redimere nos omnesque nostras miserias depellere per unam lacrymulam posset, maluit instar pellicani (qui auctore Pierio, l. XX. hierogl. pullos suos veneno infectos interfectosque sanguine de cruribus suis elicere, ut mortuos nos vitæ restitueret. Unde in persona Christi merito dixit David, Psalm. CI. *Factus sum sicut pelicanus in solitudine*. Deinde cum quælibet gutta sanguinis Christi infinitum haberet valorem et suffecisset ad infinitos redimendos mundos, voluit tamen effundere copiosum, quod in hymno sacro expressit D. Thomas Aquinas: *Pie pellicane Jesu Domine: me immundum munda tuo sanguine, cujus una stilla salvum facere, totum mundum posset omni scelere*.

Deinde ut vitam mortuis restitueret, victus misericordia vitam ipse suam posthabuit et dedit. Celebris fuit illa misericordia filiae Pharaonis, quando videns fiscellam seu arculam in fluvio denatantem, ad littus eam trahi et aperiri jussit, et cum parvulum in ea vagientem vidisset, miserta ejus nutriri eum fecit, nutritum adoptavit in filium et in regia sua splendide educavit, ac Moysen vocavit, id est, extractum, quia de aqua eum tulisset, Exod. II. quæ historia multum exprimit Dei in nos misericordiam. Nos enim sicut infantes Hebræorum a Pharaone mergi jussit, ad mortem et gehennam ob peccata nostra eramus condemnati, et jamjam expositi flumini hujus vitæ, ad illam delabendo properabamus, certi de submersione. Sed nostram hanc misericordiam videns Dei sapientia, miseria nostra extraxit nos, (habet enim peccatum duas quasi facies: una movet ad iram, qua Dei offensa est, altera ad compassionem, qua hominem conjicit in miseriam. Primam inspexit Deus cum mundum diluvio perdidit, *tactus dolore cordis intrinsecus*: secundam cum eum restauravit) et in filios suos adoptavit, deinde in Ecclesia instrui fecit ut ad extremum in regiam suam cœlestem transferret. Ita esse docet noster baptismus, de quo omnes lavati sumus, quique a Christo institutus est, ut sciremus nos instar Moysis de aquis perditionis per Christum ereptos esse, sed tamen modus

liberationis hujus longe diversus fuit ab illo, quem adhibuit filia Pharaonis. Illa famulam misit, quæ Moysen ex aquis eriperet: Deus ad nos eripiendos ipsemet de cœlo descendit. Formula missa forte uncum aliquem aut pericam accepit, qua Moysen extraheret, nullum corporis damnum incurrit, aut vitæ periculum subiit: Deus ipsemet in torrentem passionis descendit, et dum mergendos jamjam nos humeris suis effert et in tuto ponit, ipse interim pondere nostro prægravatus mergitur, id quod sibi eventurum optime prænotat. Istud nobis insinuavit Dominus in parabola Samaritani, qui videns vulneratum jacentem, misericordia motus super eum appropinquavit, et mox de equo descendit, saucium illi imposuit, ipse pedes ivit eumque in diversorium duxit et curari expensis suis fecit. Tametsi enim hoc Samaritani officium exile videtur, et humilis ac liberalissimus Dominus immensum beneficium redemptionis suæ exiguis hise lineamentis describit, maximum tamen id erat. Vidit enim humanum genus, saucium, usque ad mortem æternam, in terra iter fecit, cum propter illud in terram descendit. Venit secus illud cum naturam induit humanam: de equo suo descendit, quando anima de corpore separata mortem oppetiit: vulnera nostra obligavit, cum pro nobis ipse vulneratus fuit et sacramenta de vulneribus suis nobis distillavit: in jumentum suum sustulit, quando sua merita nobis donavit et gratiam quæ suaviter nos portat: ipse pedes incessit, cum miserias nostras in se suscepit, vinculis suis vincula nostra dissolvit, vulneribus suis vulnera nostra sanavit, sanguine suo nostra debita exsolvit, labore suo quietem nobis acquisivit. Annon immensa sunt hæc omnia? Celebris fuit Trajani imp. misericordia, qui cum militum suorum vulneribus post conflictum cum Decebalo rege Dacorum, ligamina deessent, propriam vestem in fascias discissam eis divisit, ut refert Dio. Sic Christus vestem corporis sui scindi permisit ut vulnera obligaret nostra.

IV. Dei justitiam, dum non pepercit proprio a Filio suo, qui tamen aliena tantum in se peccata susceperat, sed tam severe eum castigavit. Unde ad Rom. III. ait apostolus: *Quem proposuit Deus propitiationem, per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ*. q. d. statuit Deum Filium suum in exemplum severissimæ justitiæ ad omnium terrorem, ea autem fuit severissima. Primo, quia licet Filii Dei mors intercedere deberet, nihilo magis tamen retroacta est, sed in rigore suo processit, cum per absolutam suam potentiam potuisset Deus homini debitum vel omnino

condonare, vel alterius aliqualem satisfactionem pro eo acceptare. Quanta vero ira regis illius in subditum foret, quæ objecto proprio filio nequit ret mitigari, sed in eundem sine misericordia sæviret? Quando ignis de cœlo missus sæviit in rebelles Israelitas, ubi pervenit ad Aaronem cum incenso stantem inter mortuos et viventes, mox cessavit plaga, nec attingere tentavit sacerdotem Domini innoxium, Num. XVI. Atqui hoc factum non est in proposito. Posuit enim se Dei Filium medium inter Dei justitiam et hominum peccata, necnon cum ardentissimo orationis incenso placare Patrem laboravit in monte Oliveti cum dixit: *Abba Pater omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me*, Marci XIV. quæ oratio haud dubie plus alioqui valebat, quam si omnes angeli et sancti Dei orassent. Ad hæc innocentissimus fuit et apud Patrem suum amabilissimus, non tandem ideo stetit ignis iracundiæ divinæ, sed in ipsum ejus Filium implacabiliter desæviit. Referunt Cantipratanus, l. II. c. XXXVI. p. VI. Fulgos. l. I. c. VI. Cæsarius, l. IX. c. XXXVIII. de viro nobili, quem comitem vocat Cantipratanus nomine Elkilbaldum de Borban, qui lecto affixus intellexit filium (alii nepotem dicunt) virgini vim intulisse, domini hæredem nemo accusare, multo minus audebat punire. Quid ageret ergo dominus? Certabant in eo paternus animus erga unicum hæredem; et altera ex parte justitia, sceleris vindictam urgens, quæ et vicit. Vocat igitur filium tamquam ultima monita daturus: prius tamen sub cervicali pugionem abdiderat, quo necem inferret sonti. Adfuit ergo filius patrem placatum sperans; dumque postulanti patri aurem admovet; ille pro osculo pugionem condit in gutture tenens interim et amplectens altera manu filium, nec desinit premere, donec videt exhalasse. *Hanc accipe victimam justitiæ Deus, (addit) tibi immolatam. Scis quæ in animo et visceribus meis doloris magnitudo obversans lancinet paternum amorem: sed vicit amor tui*. Qui etiam propter id factum a Deo absolutus est, siquidem eucharistiam, quam illi episcopus negarat, angelus ministravit. Magnus profecto in hoc viro justitiæ zelus et severitas: qui si filio non pepercit quomodo parceret aliis? Sed longe severior divinæ justitiæ zelus cernitur in cruce; siquidem comes ille noxium punivit, Deus autem Filium innocentem, et qui ex mera tantum benevolentia alienas in se culpas sustulit. O quantum in corde Dei certare debuerunt (si humano more loquamur) amor et justitia? Ille absolvetat tamquam Filium et innocentem, ista condemnabat tamquam peccatorum vadem. Sed vicit tamen justitia, licet unum tantum pro se haberet suf-

fragium, amor vero duo; siquidem in corpus Filii condidit lignum crucis et atrocissima tormenta. Sed libet interrogare, quamobrem Deus Pater non remisit Filio hanc pœnam, saltem idcirco, quod is ex mera benevolentia et charitate hominum in se culpas translulerit? Novimus enim ex historiis id factum ab hominibus. Annon truculentus tyrannus erat Dionysius? Et hic tamen absolvit Damodem et Pythiam, quod alter innocens pro altero nocente se vadem dederit in carcerem et obtulerit ad supplicium. Placuit enim tyranno hoc certamen amicitiae tantopere ut utrumque non modo absolverit, sed etiam rogarit, ut se quoque in amicitiam suam reciperent. Jam igitur, cum idipsum præstiterit nobis Dei Filius, quomodo cœlestis Pater non permotus est, ut et reum dimitteret hominem, et vadem quoque Christum? Quid hic respondebimus? Nescio, Deus scit: nisi forte id Davidis, Psalm. C. *Misericordiam et iudicium cantabo tibi, Domine.* Duæ hæc sorores in Deo, misericordia et justitia, simul gradi volunt, separari ab invicem nolunt.

Secundo, quia de tot gravissimis suppliciis nihil remisit Filio, licet quodammodo omnes creaturæ se pro eo interponerent, velum templi scinderetur, terra tremere, petræ disrumperentur, sol retraheret radios. Qualis enim foret illius ducis iracundia, qui post definitum militi reo supplicium, nec in minimo exorari posset a toto suo exercitu, ut aliquid ei remittat? Conceperat iram Saul in Jonathan filium et decreverat supplicium, quod mandatum suum, inscius licet, prætergressus esset. Sed conclamans contra regem populus: *Ergone Jonathas morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel?* Jonathan liberavit, I. Reg. XIV. Conclamabant etiam contra cædem Christi ad Deum cælum, aer, terra, templum: quasi liberare eum vellent, et dicerent cum Pilato: *Quid enim mali fecit?* Non tamen eripuerunt. O severam Dei justitiam! Audi Davidem in persona Christi loquentem ad Deum Patrem, Psalm. LXXXVII. *Super me confirmatus est furor tuus, et omnes fluctus tuos induxisti super me. Confirmatus, inquit, donec videlicet plenissima satisfactio existeret et tanta quantam furor Dei in peccata hominum requirebat. Et omnes fluctus induxisti, id est, nullum ictum remisisti ex iis, quos mihi decrevistis.*

V. Dei potentiam, dum Christus eo tempore quo videbatur a Judæis jam devictus, prostratus ac triumphatus, quo in omnibus membris suis erat ligatus, quo corona militum stipatorum inermis circumdatus, quo ab omnibus desertus, quo exanguis et moribundus, traxit omnia ad

se: elementa imprimis et sidera, quæ ob mortem ejus vel lugebant vel indignabantur: centurionem et qui cum eo erant, qui morientem agnoscit Dei Filium, cum prius prædicantem et mira operantem non agnovisset: latronem, qui videns prodigia naturæ, post tam induratum nocendi consuetudinem Deum confitetur et amicitiam ejus ambit ac paradisum impetrat, cum audit: *Hodie mecum eris in paradiso.* « Quid dicis? (ait S. Augustinus, serm. CXXX. de tempore.) Crucifixus es, Domine, et paradisum promittis? Ita, inquit Dominus, ut in ipsa cruce virtutem meam agnoscas. Quoniam res hæc tristitiæ videbatur, ut non in cruce lignum attendas, sed virtutem ejus qui crucifixus est, dicas: In cruce hoc miraculum operatus est, unde maxime potentiam suam declarat Omnipotens, non mortuum resuscitans, non mari et ventis imperans, non dæmones ejiciens, sed crucifixus, derisus atque contemptus longo scelerum usu obduratam latronis mentem immutare prævaluit, ut ex utroque virtutem ejus inspicias; in eodem enim tempore passionis crucifixus universam turbavit creaturam et saxa disruptit; duriorum vero lapidibus animam attraxit pariter et honoravit. » Hactenus Augustin. Traxit universam multitudinem circumstantium? Qui enim antea nullis minis aut miraculis poterant moveri ut darent gloriam Deo et agnoscerent Filium Dei, postea *percutientes pectora sua revertebantur.* Revertebantur pleni compassione, lacrymis, luce, qui exhibant pleni invidia, sannis, ignorantia. Traxit denique universam terram, imperatores, reges, principes, populos, ut abjurata idololatria deos, quos tamdiu tamque pertinaciter coluerant, abjicerent et ad crucem accederent, ad crucem genua figerent et coronas suas jacerent, crucifixum adorarent, cruci sponte se subicerent, eique constantissime adhererent. Atque hoc signabat figura Samsonis, qui Jud. XVI. cum imbecillimus putabatur et a pueris ridebatur, apprehendens ambas columnas, unam dextra alteram læva, fortiter concussit, et corruere fecit totam domum super principes et cæteram multitudinem, quæ in ea erat, multoque plures interfecit moriens, quam antea vivus occiderat. Quando enim Christus apprehendit columnas binas, nisi quando utrumque crucis brachium, unum dextera alterum sinistra amplexus est? Et quando concussit columnas domus, ipsamque adeo domum, nisi quando terram tremere fecit, petras scidit, velum laceravit, solem obscuravit, monumenta aperuit? Et quando occidit principes et omnem multitudinem, nisi quando centurio, latro, turba circumstans et postea omnes terræ

principes abjurata perfidia Christum confessi sunt et crucem adorarunt? Quamquam feliciter illos occidit, quam Samson, quia infidelitatem et peccatum in eis occidit, ipsos vero Christum fecit. Vides ergo quam vere Dominus dixerit: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum!* Atque ut magis mirere, existimabant Judæi, se Christi doctrinam et miracula sedaturos et odiosa reddituros, adeoque ab eo abstracturos omnem populum, ut nemo eum confiteretur amplius, si morte crucis turpissima eum afficerent. Idcirco enim aiebant: *Venite, mittamus lignum in panem ejus, et eradamus eum de terra viventium,* Jerem. XI. q. d. conspueamus et odibilem reddamus ejus doctrinam (qua velut pane cibabat et inescabat homines) supplicium crucis ei decernendo. Sed *defecerunt scrutantes scrutinio;* siquidem ob idipsum magis propagata est ejus doctrina et major ejus gloria consecuta.

VI. Dei patientiam, dum per crucem, quæ Judæis scandalum, gentibus vero stultitia erat, mirabili modo triumphavit, et omnem mundi sapientiam, Judæorum astutiam, dæmonum machinationes confudit et elusit. Horrebant homines, quidquid asperum, quidquid humile et abjectum erat; colebant, suspiciebant et laudabant solum gloriam, divitias, voluptates: et ecce dum Dei Filius crucem ascendit; dum contemptum, paupertatem et dolores amplexus est, vanissima illa gentium dogmata omnia corruerunt; et sine ullis demonstrationibus, sine armis, sine munere aut lenociniorum illecebris effecit Christus, ut exinde mundus inciperet colere paupertatem, humilitatem, contemptum, vitæ asperitatem, obedientiam, patientiam: ut reges depositis coronis crucem adorarent, imo sequerentur iatrando religiones, amplectendo humilitatem, paupertatem, obedientiam, castitatem, etc. viluerunt vero sapientibus omnia quæ prius mundo placuerant. Judæi intendebant Christi gloriam extinguere, per mortem turpissimam, quam urgebant et importunis postulationibus suis ei irrogabant; sed mirabiliter elusi sunt: hinc enim Christi gloria tanto magis coruscare cepit, quanto turpior fuit mors ei irrogata. Turpior inquam sensu Judæorum; nam revera morti crucis detraxit Christus omnem turpitudinem et ornavit eam pulchritudine, gloria et decore. Dæmones etiam omnes excogitavere machinas, quibus Christum et medio tollerent et populum sectatorem ei abstraherent; sed defecerunt etiam isti scrutatores: dum enim flagellis, dum spinis, dum cruce in eum pugnarunt, seipsos confecerunt et spoliarunt mundi principatu (siquidem Christum patientem et vulnera accipiendum redemit mundum, quem pugnando et

vulnerando non redemisset) atque ita vere *circumdederunt eum sicut apes:* quæ si aculeum infigant homini, ipsæ moriantur, plaga vero cito sanatur modico luto. Unde patet Dei sapientia nunquam antea mundo tam conspecta, dum novo et inaudito genere bellandi, patiente scilicet et moriendo, hostes superavit. Ut vere de hac dici possit id Jud. V. *Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit. Clypeus et hasta si apparuerint?* Quid enim mirabilis, quam victum vincere, occisum triumphare, per ignominiam expugnare gloriam.

Apparet etiam in eo Dei sapientia, quod sine omni destructione vicit et expugnavit hominum corda et ad sui amorem non terrendo aut quatiendo aut carnificinam creaturarum suarum excitando, (Lacones autem quando stratagemate sine effusione sanguinis superabant hostem, Marti bovem immolabant: si cum cæde non nisi gallum, Majol. tom. III. col. II.) sed suaviter alliciendo pertraxit, ut ultro ei portas reserarent. Itaque e castellis cordium humanorum hostes diabolos ejecit, ut castella ipsa non læderet. Audi Chrysost. hom. XXXV. operis imperf. « Si rex terrenus, inquit, videret, quod civitatem illius occupatam teneat hostis, quid facere posset? Nil nisi ut ponat arietes, circumducatur exercitum, destruat mœnia, quæ forte ipse ædificavit, ut tantummodo hostem expellat. Sed videamus sapientiam nostri regis. Postquam vidit castra sua occupari hoste alieno, sic hostem expulit, ut castra sua non læderet, etc. » Atque ita impletum est, quod Isa. XLII. prædictum est de Christo: *Judicium gentibus proferet: non clamabit, nec audietur vox ejus: calamus quassatum non confringet et linum fumigans non extinguet.* Obsederat multo tempore Deus indurata et rebellia hominum corda, ut inde hostem suum diabolus ejiceret, quassata arietibus et plagis maximis; sed fere frustra laboravit: venit igitur Dei Filius et novam bellandi artem tentavit, tela hominum et cacodæmonum in se conjecta omnia excepit, hominibus et facturis suis nihil nocuit, atque ita animos eorum vicit, ut ultro portas ei aperirent, ad eum excurrerent, dæmone ejecto in castellum suum introducerent magno cum desiderio et amore. Si per viam et potentiam suam Christus eos coegisset, confregisset et sibi subjecisset, invitos habuisset subditos et coacte servientes. Modo autem non armis eos superavit, sed amoris vinculo sibi devinxit, ut ultro in amplexum ejus ruerent, et in odorem unguentorum, id est, meritorum et sacramentorum ejus currerent. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei!*

Quando igitur per crucem devenimus ad Dei